

memorable nomen, & virtutem. gaudent adventus Mercatores, & Captivi: laudant Deum mirabilem in sanctis suis. Interea navis Barchinonensium redit læta læto triumpho, vexillis pendentibus super prora & pupi, resonantibus tubis, aliis cantantibus cantica lætitiæ & victoriæ. A longe Barchinonenses à moenibus urbis, & à littore spectant Vela vident insignia, concipiunt lætitiã immensam. Distendunt vela nautæ, capiunt remos, monstrant cum virtute & gaudio remigantes, suæ navis laudabilem levitatem; applicant ad litus, data, & accepta salute. Exeunt à navi, unusquisque congauget amico. Referunt miraculum per meritum Beati Ollegarii, facta est navis decora ad imaginem veræ navis. Cum ingenti multitudine Civium utriusque sexus veniunt nautæ cum gaudio in Ecclesiam Sedis, referunt grates Beatæ Eulaliæ; deinde ad tumulum Beati Ollegarii cum magna veneratione insimul veniunt, præsentant ceream navim, reddunt Santo Patrono, & defensori suo Ollegario gratias. Referunt Clero & populo adstanti quid eis evenerit per ordinem. Gaudet Clerus, lætatur populus, exultat Civitas, fama tantæ rei volat per universam regionem.

3 Accidit quodam tempore, tres Christianos de Penitensi, à Mauris captos, ductos in Valentiam Civitatem Hispaniæ. Ubi fame & siti & multis tormentis afflicti ferreis vinculis in carcere] *detinebantur* [. Unus vero ex eis erat Sacerdos quem Beatus ordinaverat Ollegarius, qui pertractans in animo Beati Ollegarii de sancta vita & doctrina & honestate, confidebat in Domino, & in potentia virtutis ejus, se meritis S. Ollegarii de carcere posse liberari. Ipse vero admonuit socios suos, ut Dei invocarent auxilium, ut per meritum S. Ollegarii dignaretur eos liberare. Qui exorant dicentes: „ Rex summe virtutis Deus, exaudi orationem nostram, & libera nos de carcere intolerabilis miseriæ „ per meritum Beati Ollegarii, cujus documentis, dum viveret, „ perfrui lætabamur. Et intenso clamore clamabant: Sancte Ollegarii nostræ subveni miseriæ, quia es inter tot presuras & „ orationes, & postulationes exauditor. Sanctus advenit Ollegarius ad subveniendum miseris. Illico fregit vincula virtute cælesti, jubet eos exire. Illi vero sentientes divinæ potentiæ clementiam & S. Ollegarii, gravitate catenarum remota, Sancto Ollegario pro duce, exeunt e carcere. Sanctus autem Ollegarius do-

docuit eos per quam viam ire deberent; postea vero commendans illos Deo S. Ollegarius disparuit ab oculis eorum: qui venientes ad littus maris viderunt quandam navem, quæ ad mercandum tendebat; homines quidem Barchinonenses, qui erant in Navicula videntes homines in littore cognoscunt eos, & inquirunt eos quomodo liberati fuissent. Referunt per ordinem Beati Ollegarii miraculum, quomodo liberaverat, & quomodo, & qualiter evanuerat. Navis autem Barchinonensis prospero navigio venit Barchinonam. Illi autem, quos Sanctus liberaverat Ollegarius, ferentes compedes, quibus compediti fuerant, posuerunt & suspenderunt ante tumulum Beati Ollegarii, cum gratiarum actionibus, & exeniis, referentes modum suæ liberationis, & tempus, & omnem eventum rei, per Beati Ollegarii meritum.

4 Quædam nobilis femina in territorio Penitensi, in loco quem dicunt *Miralles* quæ per multos annos sumptus multos expendebat pecuniarum in Medicis, & medicinis, unguentis, & potionibus, quæ omnia ei pro nihilo fiebant, quia nihil proderant, nullius utilitatis erant ad sanitatem conferendam. Cum vero sentiret nulla ei quæ fiebant medicamenta prodesse posse, & omnem apparatus curandi in vanum fieri, prætentat, meditat in mente sua de medicina cælesti quæ à cælo datur: Audierat siquidem famam Beati Ollegarii recitantem virtutem, & miracula. Quodammodo gratia Dei inspirante habuit fixum in animo, quod per eum posset restitui sanitati. Deseruit Medicos, liquit medicinam, abiecit unguenta, contempsit potiones, poposcit cælestem, die ac nocte, medicinam. Dum assidue prædicta femina exoraret pro sanitate sua recuperanda, fundendo preces, & Beati Ollegarii meritum in corde & ore fixum haberet, quadam nocte, cum obdormiret, habens soporem lenitius solito: quam mirum! jam cælesti medicina appropriante, jam se ei efundente, ægritudo paralysis recedebat, membra recipiebant solitam valetudinem, quæ diu in valetudine subjacuerant. Ipsa vero expergefacta à somno, sensit femina læta antiquum rigorem & vigorem membrorum: quæ ante officium sani motus amiserat, membra movens, sanam se sentit, & lætam. Quanta vero fuerit in ea lætitia de vera medicina, & vera sanitate, vocat virum, filios, amicos, milites, cum festinatione; parat se, & exennia sua. Cum viro, & filiis, & militibus venit Barchinonem. Reddit gratias Deo, & Beatæ Eulaliæ, &

lacrymas lætitiæ fundendo ante tumulum Beati Ollegarii, supplex ipsa, & vir, & qui cum eis venerant. Ipsa obtulit quoddam pallium, unde coopertum fuit sepulcrum Beati Ollegarii. Retulit clerico & civibus quæ per Beatum Ollegarium ei evenerant. Unde clericus & cives immensas Deo, & Beatæ Eulaliæ, & Sancto Ollegario gratias cum devota supplicatione, humiliter referunt.

5 Contigit quodam tempore, me pro quibusdam negotiis de Gerunda Barchinonam venire ad visirandos fratres meos Barchinonensis Ecclesiæ, ad ostendenda fratribus in lætitiâ & gaudio cælesti quædam miracula, quæ rogatus ab eisdem fratribus in virtute Spiritus Sancti pro posse meo dictaveram, & scripseram. Dum vero in Barchinona, illa insignia miracula Beati viri legendo fratres lætificati mecum gauderent in virtutibus Sancti Patroni; omnipotens Deus, qui est mirabilis in Sanctis suis, duo insignia miracula, & digna relatu nobis ostendere dignatus est.

Quidam senex cæcus ante sepulcrum Beati Ollegarii viri assiduus vigiliis & precibus, & die & nocte manebat præstolans in fide restitutionem luminis ab omnipotenti Deo & Patre luminum, ad laudem & gloriam nominis sui, per meritum Beati Ollegarii. Quadam vero die sabbati, cum fratres essent in capitulo, ille senex cæcus stetit ante sepulcrum Beati viri, confidens in misericordia Dei, & in potentia virtutis ejus, postulans crebris orationibus auxilium & medicinam virtutis à cælo, per interventum Beati Ollegarii. Cum autem hac oratione fixus permaneret, visum est ei videre quendam collobio albo indutum senem, qui manica collobii oculos ejus subito tersit, & illico revisit. Ille vero senex quadam admiratione & gaudio exultans, erumpens hanc vocem clamavit: Deo gratias, video per Sancti Ollegarii meritum, qui modo apparuit mihi indutus collobio albo, qui manica collobii tersit mihi oculos. Accurrerunt omnes, tam clericus quam populus exultant, lætantur, reddunt Deo, & Beatæ Eulaliæ & Sancto Confessori Ollegario [*gratias*]. Ego autem qui eram in civitate tractans de reditu meo Gerundam, clasica audivi; quæsi vi quare tandiu sonarent: relatum est mihi, quia Beatus Ollegarius quendam cæcum illuminaverat. Hilaris & gaudens dimisi negotium meum, redivi cum quadam festinatione ad Ecclesiam. Mihi autem redeunti affuit nuncius missus ad me à Primicherio Sedis, & à quibusdam fratribus meis Canonicis, referens, & augens gaudium meum,

referendo cæci illuminationem per Beatum Ollegarium. Ego siquidem quadam admiratione plenus, & lætus veni ad sepulcrum Beati Ollegarii, cum gaudentibus gavisus sum, cum grates agentibus gratias egi. In eadem vero die, quidam alius cæcus audiens miraculum de cæco per Beatum Ollegarium illuminato, de sua anxius cæcitate, non invidens cæco illuminato, imo gratias agens de sui illuminatione luminis, sed ad Deum & Beatum Ollegarium levans oculos animæ, sicut in corde suo meditans, ajebat: Ego miser, tam longo tempore hic moram feci, mendicavi, oravi, postulavi, & misericordiam Dei per meritum Beati Ollegarii expectavi; quæ nubes peccati mei obstat misericordiæ Dei? Quæ nebula delicti mei obstat clementiæ Dei? Quæ sordes cordis mei offendit gratiam Dei? Quæ contagia peccatorum meorum opponunt se oculis summæ pietatis? Justus es Domine, & rectum judicium tuum, introibo in conscientiæ meæ secretum, & scobam spiritum meum, fodiam foveam peccatorum meorum, projiciam foras ruderam nequitiae meæ, sordes ignorantiae meæ, luce veræ confessionis illuminandi sunt oculi mei cordis, & sic in virtute Dei per meritum Beati Ollegarii illuminabuntur oculi cordis mei. Tandem venit ad eum quidam sacerdos, & dixit ei: Cur tanta anxietate deprimeris? Cur tanta molestia afficeris? Cur tanto mœrore gravaris? confide in eo qui Author est cælestis medicinæ & veræ lucis reparator. Recole mentem tuam, confitere peccata tua, purga animam tuam, justifica te ipsum. Credo equidem, quod oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum; surge qui dormis, & illuminabit te Christus. Cæcus ille audito consilio sacerdotis accepit eum in parte, confessus est peccata sua, cum quadam puritate compunctionis, nihil celavit, omnes sordes animæ evomit: judicium bona voluntate accepit, & sic à sacerdote judicatus, venit ante sepulcrum S. Ollegarii, & ibi sedit, expectans per intercessionem S. Patroni misericordiam Dei. Cum vero nox esset, & finita cœna, cum in atrio domus Primicherii, ubi hospitium meum aliquantulum spaciatus fuisset, in lectum tendo requiescere, & dare oculos meos somno. Vix clauseram oculos meos (scit Dominus quod non mentior) audivi classica, quæro à clericis, qui ante me jacebant, à pueris, à servitoribus domus, quare classica tam diu sonarent? Audio tumultum, & clamorem lætitiæ lætantium, & exultantium in plateis, & dicentium: Beatus Olle-

Ollegarius alium illuminavit cæcum. Surgo cum gaudio, lætas lacrymas fundo. Semivestitus, & festinans tendo ante sepulcrum Beati Ollegarii, gaudeo cum gaudentibus, fleo cum flentibus, aliquando amaritudinis lacrymas fundo inspiciens oculis cordis justitiam Dei: aliquando dulcedinis lacrymas, misericordiæ Dei dulcedinem considerans.

Quædam femina in territorio Penitensi, quæ in prima hora diei conturbata dolore viscerum in lecto gravi languore deprimebatur usque ad mortem. Postea sedatus est dolor viscerum, & habuit pausam usque ad vesperam. In vespere autem gravior quam in mane invasit eam dolor, secundum illud Psalmistæ: Ad vesperum demorabitur fletus. Et ille dolor perturbavit viscera ejus in tantum ut extincta videretur. Sine spe vitæ posuerunt eam. Amiserat enim loquelam linguæ ejus, & bene consulto pollice, nullum pulsum reddebat. Omnes qui venerant ad eam amici ejus, & parentes, & vicini, nullum signum vitæ videntes in femina credebant eam omnino extinctam esse. Quidam vero loquebatur de ea inter se: pura animi devotione precemur Deum, ut per meritum Beati Ollegarii Deus aperiat thesaurum pietatis suæ, & det isti feminæ potentiam loquendi, ut possit habere spatium confessionis peccatorum suorum, ut saltem deinceps in vera confessione moriatur in Domino, qui confitentibus remittit peccata: Omnia enim, sicut sacerdotes Magistri nostri nobis prædicant in confessione lavantur: Christianæ autem fidei est secundum præceptum bonæ moralitatis, ut quisque fidelis, secundum posse suum disponat domui suæ in rebus suis, quod justo labore acquisivit, vel quocumque modo juste habuit, testamentum faciat secundum justitiam, & legis rationem. Alii dicebant, ipsa extincta est, modo tarda est oratio, ipsa enim jam mortua est: nunc opus est funeralibus exequiis, non est tempus precibus ad vitam temporalem, sed ad vitam æternam. Alii dicebant: imploranda est misericordia Dei, qui omnia fecit ex nihilo, & quæcumque voluit fecit, ipse potest eam resuscitare, qui resuscitat mortuos, ut per interventum Beati Ollegarii det ei spatium vivendi, & loquendi, ut saltem in vera confessione, & rerum suarum dispositione & testamento moriatur in Christo. Omnes unanimes in hac devotione, Deo disponente, orationem fecerunt, ut Deus potentia pietatis suæ, & benignitate, & misericordia permitteret eam loqui, ut

saltem moreretur in vera confessione, in christianæ fidei disciplina, & professione. Hæc oratio ab illis, pura mentis devotione repetita. Cum autem jam appropinquante aurora, omnes ante eam quasi ante exequias funeris vigilarent, secundum illud Psalmistæ: *Et ad matutinum lætitia.* Femina languida voce cœpit loqui, & advocare adstantes ante lectum suum. Illi vero summo gaudio & lætitia gratias Deo reddiderunt. Postea quæsierunt ab ea diligenter quid habuisset, quid vidisset, quo spiritus ejus missus? Ipsa autem respondit se fuisse in quodam loco ubi habuit delectabilem requiem, ubi viderat Beatum Ollegarium procumbentem genibus ante pedes cujusdam speciosi viri, qui erat mirandi decoris, & elegantissimi vultus orantem pro ea, ut revocaretur spiritus ejus ad corpus, secundum petitiones illorum, & preces eorum precantium. Stupefacti omnes tam admirabili virtute, gratias Deo, & Beatæ Eulaliæ, & Beato Ollegario reddiderunt. Convaluit itaque mulier, & reparata valetudine membrorum, cum amicis & parentibus venit Barchinonam. Facta autem oratione pro gratiarum actione ante tumultum Beati Ollegarii, Clero, & populo, qui ibi convenerant ad audiendam tam admirabilem Dei virtutem per Beatum Ollegarium, retulit per ordinem infirmitatis suæ eventum, & quid, & qualiter actum esset ei in visione, sicut supra diximus: à clero, & populo Deo gratiæ aguntur & Beato Ollegario, & virtus tanti miraculi recitatur.

Adhuc restant quædam largo modo scripta, sed hic breviter recitantur.

Quidam miles Vallensis ivit Barchinonam causa orationis, & Beati Ollegarii devotionis. Dum ibi esset, & orasset, quidam servus & captivus suus dedit terga fugere, cui apparuit Beatus Ollegarius, & dixit ei, quod reverteretur domi, qui nolens, sed fugiens factus est cæcus. Et dum promitteret, quod reverteretur si recuperaret visum, recuperavit. Iterum, & iterum fugit, & iterum factus est cæcus, & iterum recuperavit. Reversus prædictus miles audivit fugam captivi, & dum perquirere vellent, captivus venit cum fasce lignorum, qui interrogatus retulit, quæ evenerant, & omnes lætati sunt, & reddiderunt gratias Deo, & Beato Ollegario.

Quædam vidua erat in Civitate Barchinonæ, quæ habebat Sarracenum captivum, quæ vivebat cum filiis de labore & lucro

captivi: quæ dum oraret ad tumulum S. Ollegarii, & dum revertisset domi, non invenit captivum qui dederat terga fugere, quæ anxia perquirat huc & illuc, & non inveniens, venit iterum ad tumulum S. Ollegarii, & cum obdormisset præ tædio, dixit ei S. Ollegarius, quod iret ad clibanum Comitis, & ibi inveniret captivum: quæ abiens, invenit inter ligna absconditum, cum alio captivo, qui cum eo volebat fugere. Quo invento retulit gratias Deo, & Beato Ollegario.

Quidam debilis & contractus omnino pedum officio, auditis virtutibus & miraculis Beati Ollegarii sumpsit animum, in fide se posse sanari per meritum Beati Ollegarii, cooperante gratia Dei. Quadam nocte dum contractus ille pernôtaret in claustro, juxta Capitulum, apparuit illi quidam senex indutus albis, & virga in manu, & dixit illi: Surge. Qui dixit, non possum surgere, & post spatium dimidiæ horæ surrexit, & ambulavit recte, & narravit omnibus visionem, & curationem cælestis medicinæ: & clerus & populus referunt gratias Deo, & Beatæ Mariæ, & Beatæ Eulaliæ, & Beato Confessori Ollegario.

Quidam cæcus, cum parentes, & amici ejus Barchinonem attulissent, & coram sepulcro S. Ollegarii per multum tempus orasset, visum meritis Beati Ollegarii recuperavit.

Quidam miles Valensis dixit: Iste canis meus, quem diligo, nunquam accipit lepores: sed promitto Deo & Beato Ollegario quod si canis accipit, quod ego dabo Sancto Ollegario unum leporem de cera. Mane autem facto ierunt venationi, & statim invenit leporem, quem canis cepit statim. Et quamvis dixisset causa solatii, fecit fieri leporem de cera, & posuit super tumulum S. Ollegarii. Multa quidem, & alia signa fecit Dominus Deus per amorem Sancti sui Ollegarii, & aliorum Sanctorum suorum, qui est laudabilis in Sanctis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.



XXII.

ALTERA BEATI OLLEGARII VITA,

nunc primum edita:

ab Anonymo anno Domini 1323. scripta.

Vide pag. 253.

Nicolao Apostolicam regente Cathedram & in Gotolaunia dominante Raymundo Berengario, anno MLXIX. Comitis à Secretis Oldegario feliciter Barchinonæ natus est ei ex conjugē nobili Ollegarius filius, quem in divinis imbuerunt præceptis, literisque insudandis tradiderunt grater. Qui cum audiens proficeret, cursum admirandæ sanctitatis decurrit: cumque nihil puerile, quod offenderet, ageret, omnium ad se oculos convertit: sanctisque virtutibus, animum movit paternum, ut eum Deo traderet, cultuique divino destinaret: Cumque vellet omnia sua ad Dei destinare cultum, eum locupletem Deo in Barchinonensi Sede tradidit. Decimo complete anno Canonicus creatur, & puerilibus renuntians, totum se studiis & orationibus tradidit, ut virtutibus robustus, prius senescere quam juventutem gustare videretur: in turba studentium, solus: in civium tumultu, solitarius: Senes habebant à Juvēne quod ediscerent: dum omnes, quam esset pulchra virtus, edocebat modestia exteriori & totius virtutis specimine, qui fructus erat prodiens ex interioris animi celsitudine. Dumque Juvēnum mundanorum curat vitare colloquia, Sanctorum incipit agmina aggregare: non ille à communi Schola, sed hæc ab illo omnia didicit, dum in interiori animæ fundo abstractus, spiritum internum habuit sibi adloquentem, & divinum amorem dictantem. Cum tali foveretur Oldegarius patrociniò, videte, si pietate instructus est singulari. In titulo Canonico habuit Sedes quidquid esset claritatis status, in eo uno habuit arcana virtutum: nondum didicerat quid esset mundus, & cælos rapuit: cum Rochero vestitur externo, castitatis honore interius candidatur. In uno habuit multa quibus illustrabatur, dum discunt juvenes matutine senescere, & senes virtutum profectus conservare: in eo

videbatur opus plusquam Angelicum, dum in carnali corpore disceret virginitatem conservare; & dum disceret, virtutem docere: in omni scientiarum genere peritissimus habebatur, qui in omni virtutum genere erat validus potensque operator.

2 Sed quid miramini in virtutum profectus? quia etsi tenera anima, continuis orationibus colitur, & lacrymarum undis irrigatur suspiriis, & flagellis corpus castigat, sustentat quotidianis jejuniis & frequentibus elemosynis decorat. Sic florens virga, ab omnibus Capituli Præpositus creatur fugit munus, animus omnium curat mollescere lacrymis, ut facile suis petitionibus annuant: sed inde statuunt omnes ab eo per obedientiæ vim Præposituram acceptari cogendum. Ille vero dicebat: Ne me amici molesteris, rogo ne tenella virtus, sicque forte est, in vitium prodat; & dum exterius per vana cor juvenis distrahitur, in Ecclesiæ hujus perniciem labatur. Sed videbant omnes hanc fore Dei voluntatem, & justum esse præponi virtutem: sic Oldegarius Præpositura illustratur; cumque virtutum arcana pervestigaret Oldegarius, geminaque probitate claresceret, nemini non charus, Deo charior reddebatur.

3 Cum inde quotidie novam virtutem intenderet, & in humilitate novos quæreretur proventus, fundante Episcopo, S. Adriani Conventum plene mundo valedicere cogitavit, prosequensque eum sanctum propositum, Deo illud admirandis lacrymis commendavit, si fieri posset, ut abjectus, & ab hominum videretur semotus colloquiis. Latus ergo habitum S. P. Augustini, de Episcopi manu recepit, & brevi tempore in illa professionem emisit; cum enim per multum temporis jam in sæculo, perseverantiæ virtutem probasset Episcopus Oldegarium profiteretur. Qui cum novas didicisset probare virtutes, admirandosque fructus ex illis collegisset, antiquas sic perfecisset, ut incarnatus Angelus appareret è cælo, & non mortalis vivens intus angustos terræ limites, & dum omnium animos humanitate ad se alliciebat, omnium affectus ad Deum ordinabat, admirandisque dictis, doctrina veridicis, pietate excelsis, charitate accensis, amore ignitis, virtutem in irriguo religionis hortulo seminabat. Cumque tot illustraretur virtutibus Oldegarius, Prior S. Adriani præficitur. Cumque illius sancta humilitas sæculi fugisset honores, & abhinc paucis mensibus canonicalem dignitatem reliquisset, lacrymis madens,

ad

ad Episcopi pedes prostratus, sic affatus est: Obsecro, mi Pater, respicias humilitatem servi tui, heri mundum sprevi; & hodie cogor periculosiorem gradere viam; si illud quod minus est, timidius tenui fugere, ne deficerem in bravii prosecutione, nunc quid faciam, cum adhuc fatigatus dignitatum sæculi premor religionis honoribus? respice quia nova germina hic plantantur, quomodo inexpertus potero cavere, si virtutum exemplis debeant irrigari; siccum erigis fontem, juvenus, nisi miris fulciatur virtutibus, dum honoratur, extollitur, & in superbiam elevatur: ego cum in me eam titillare sentirem, portum appuli, & cum anchoram dejicio, iterum compellor naufragare. Respice ad Saulem, Jeroboam: an quia etsi zelantes eligantur; defecerunt & corrue-
runt misere.

4 Sicque suspiriis aërem implendo, & lacrymis pontificios pedes rigando, tacuit mœrore animus juvenilis: iisque magis allec-
tus Episcopus, Oldegarium omnium consensu S. Adriani in Priorem præficit. Cumque illius jam præmaturas virtutes & animi candorem vidissent, inenarrabilem conceperunt lætitiã: ille autem continuis meditationibus, & laboribus, cœpit suum exercere officium; cœpit, aut melius prosequutus est; quotidie lacrymas ad Deum fundebat & dicebat: Domine Deus omnis bonitatis inexhaustum pelagus, & bonitatis, omnisque gratiæ dispensator, aspice ad servi tui officium, adjuva me & salvus ero: si enim tua gratia, auxiliique tui efficaciam non prævenis motus meos, non applicas voluntatem meam, illustrationibus edoctus nihil proficiam; quia non solum tua est præveniens cogitatio, sed etiam præveniens operatio: quia sicut cogitans de te, tu hoc operaris in me, sic ut operer secundum te, tu hoc prius operaris in me: cumque sperno vias injustitiæ, tu hoc prævidisti, quia secreto tuo judicio, prius decrevisti, non quid facerem patienter expectas; quia dum hanc voluntas expectat, nihil boni in ea videtur, sed & hoc in te vidisti, quia voluntatem tuam permittentem spectasti, ut si voluerim bonum sive malum, in dominio judicii, sive in dextera misericordiæ custodisti. Respice ergo quæso, Domine Jesu Pater fidelis, super commissum mihi gregem; respice quæso hereditatem servi tui Augustini, & mone me, ut gregem mihi commissum pascam, & semper tuis enutriam mandatis, ne permittas, ut negligentis meis lupus rapiat, quia misericorditer è sæculo vocasti; doce nos Au-
gus-

gustini dilecti tui regulam & doctrinam, ne vanis opinionibus abrepti, novis pascatur animus, quibus animæ lacerentur, sed dum ea quærimus, doctrina proficiamus, verbo & exemplo in sancto populo Dei.

5 In illo ergo Sancto Coenobio Angelicam vitam Prioris exemplo omnes ducebant: ibi florens castitas obedientiam comitabatur: Paupertas spiritus cum religionis virtute: annexa poenitentia cum hilaritate, patientia cum fortitudine; magnanimitas, cum humilitate; mansuetudo cum zelo; temperantia cum sobrietate, fides operibus circumdata; denique omnium virtutum genus occupatum operibus. Quis enim carismata non æmulabatur meliora, ut in bonum posset proficere? Humilitas inter eos, pios generabat ascensus; omnes enim ad viliora tendebant opera exteriora, ut meliora essent interiora: dum autem proficerent omnes, omnia simul assequebantur bona, interna & externa.... auxiliis. Interea, cum humilis Oldegarius semper timens, curat se ab officio abdicare Prioratus, cum per varia suscepisset consilia, & vere illa curaret complere, voluit Conventum S. Rufi visitare, & Patres illos invisere. Cumque illuc venisset post multa passa in via incommoda, & cum illis Sanctis fratribus esset conversatus, Abbas moritur; & Oldegarius, quem jam cognoverant non solum fama buccinante, sed virtutum admirandarum, & præclarorum operum visu, in Abbatem eligitur, & fugientem munera comprehenderunt: Quos cum fletibus quibus emollire conabatur, magis accenderet: *Nolenti dabitur*, dixerunt.

6 Et tunc Oldegarius, Dei consilio factum cognoscens, Præfecturam acceperat tristis: Et semper in novas virtutes proficiens, diruta restituit, labentia consolidavit, magnamque & admirandam illic cælestem vitam instituit: quippe cælestibus eloquiis plenus verbaque scaturiens divina, dicebat: Quæso filii vocationem vestram cogitetis, longe sit à vobis spiritus ambitionis, qui enim religiosam viam graditur, caveat ne ambitione teneatur. Væ illis, qui fortiter incipientes religionis cursum, per ambitionem defecerunt: Isti non solum sibi mali, sed etiam mundo sunt in scandalum: Isti cum de Deo memoriam in suis operibus non faciunt, per vitia varia delabuntur: cumque videant bonos à se elongatos, eos persequuntur. Illisque diem judicii minantibus, dum terribiliter irritantur, fit ut in malum magis solidentur: sic destrui-

tur

tur religiosa paupertas, & quod fuerat merces sacrificii, in incommodum convertitur: sic extollitur iniquitas, peccatumque omnibus dominatur: Et dum fortis justus intrepide patitur, deficit pusillus animus, & amicitiam pessimam potentiorum in bonum esse religionis acquisitam, dicunt; quia de lege Dei jam non cogitant: cum autem incipiunt per tyrannidem omnia agere & pusillorum animi coeperint formidare fortes in exilium mittunt; & patientiam tenentes pacificos dicunt: Potentiam, prudentiam vocant: & silentium in peccatis, patientiam: Prælatos contra sacras sanctiones eligunt, quia in eorum malam voluntatem omnes eligentes conveniunt, ... concentu Deum prædicant, & in eum oculos ponere dedignantur, dum cor ab eorum tyrannide non distrahitur. Si forte quis justus remansit, ille fit exemplum suæ malæ voluntatis. in nomine ejus congregantur: multas sanctas sanctiones constituunt, cum enim jam sint Ministri tartarei in ovina pelle veniunt, & scandala periculaque parant: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum.* Testamentum Domini per os peccatoris sumitur, cum à fine testamenti distrahitur, quod fit, cum cor divinis misericordiis non stabilitur: cum enim peccatorum manibus eleventur, gratitudinis ergo eis munera religionis distribuunt: sicque ab omnium cordibus Deum elongant. Nec aliquid pensetis bonum de illius regimine, qui in principio malos gratitudine elevat. Sed quis malus apud eos? Cum enim illi nesciant amare verum bonum, bonum semper putant malum: & quia cæcitate cordis opprimuntur, oculis carnis semper ducuntur. Sed alii adhuc Priores sunt qui bonis nihil mali infligunt, sed verbis cautis sustentant: multa bona facienda promittunt, sed malis multa bona tribuunt: & dum aliquando exterius bonum fecerint, peccandi licentiam habent. Ille solus est verus Pastor, qui postquam electus est, non de forensi justitia, quæ malitia est, sed de divinis eloquiis cogitat: non secularium turmam ad religionem adducit sed semotus à Civitatibus Deum de religionis bono consulit, & veras sanctiones, non novas, sed pietatis exempla esse cognoscit: Quia malum est, quod novæ erigantur, nisi in virtutis schola doceantur. Væ vobis filiis insipientiæ! Væ filiis iniquitatis, dum à vocatione vestra sancta errastis? quomodo potest sustineri verus religionis status cum potentis di-

divitum, cum amicitis Magistratum, qui non incipit nisi in renunciatione parentum. Ad quid probationis schola docens vos non videre Patrem, non alloqui Matri, si postea in superno religionis fastigio positi nescitis nisi magistratibus parere. Profecto à religione, à virtutis plantationibus eradicabimini si amicitias cum sæcularibus inieritis: dum vita Prælati non sit schola virtutis, omne malum religioni parentatur. Pejor est hæc via religionis, licet prima in se sit pejor: cum enim malum nullam speciem boni habeat, ab omnibus fugitur, ab omnibus declinatur; sed secunda, cum multa bona adloquatur, & secundum aliquid bonum operetur, bonum videtur, quod à multis sequitur. His alloquitur Davidicus psalmus, cum enim aliqua habentia boni speciem operantur, & curantur officiis remunerari, omnes malitiæ facti sunt cultores, qui debebant colere veritates, sic ipse instruebat ratres.

7 Postea autem Dulcia Comitissa Barchinonem venit, ubi fuit ille illius Civitatis electus Episcopus, quem renuens per fugam deviavit, ac ad suos fratres rediit & Barchinonenses mœstos dereliquit: sed cum suum Oldegarium recuperare desiderarent, Pontificem per suos Ambaciatores Ills. Comes adiit, & ab eo Oldegarium obtinuit, qui Pontificis jussionibus parens Barchinonem revertitur & honorifice receptus humera Episcopali oneri apposuit. Quantum autem ad Dei honorem sancta illa Ecclesia profecerit, nescit lingua, calamus ignorat: exemplar enim totius sanctitatis omnibus erat, in quo virtutes omnes, operibus præclaris, eminebant. Tum inæstimabilem litterarum thesaurum manifestavit, & ærarium Spiritus Sancti apparebat Apostolicus concionator. Quod dicebat, operibus imitandum præstabat, non solis ac nudis verbis addiscendum. Peccatoribus erat terribile flagellum quos conversos in amoris osculo recipiebat: Quibus erat in vitiis formidandus, pœnitentibus erat tutamen dilectionis. Nec enim negotia illum à choro distrahebant, qui cum Deo prius ea omnia conferebat: Non Episcopale munus majestate ostendebat sed humilitate omnibus amabile reddebat.

8 Dissensiones cum Abbate compositas Romam adiit, & Gelasio Pontifici obedientiam dedit, à quo & Episcopale Pallium accepit: Fuerat enim à Comite Barchinonensi Tarraconensis Archiepiscopus factus. Concionibus illius plaudebat Roma: fugientem

tem Pontificem comitatus est, eique in afflictionibus levamen maxime præstitit. Cumque Cathaloniam pervenisset, coepit dirutam Tarraconensem Civitatem, & Tempa reâdificare. Tunc vocatus à Calixto adiit Lateranense Concilium, in quo multa consilia præstitit salutaria, & ad erigendas sacras sanctiones. Cumque tantam esset Pontifex intuitus sapientiam, in Hispaniarum regnis, suum à latere constituit Legatum. Cumque Legati officio fungeretur adstitit Comiti Dertosam & Illerdam opugnanti; quid vero in illis proeliis proficeret, militiam consolando, & sacramentaliter illos confitendo, dixit belli fortunatus eventus & militantium ablati abusus: ejus autem adventus, inter Berengarium Guillelmum, & Capitulum Barchinonense pacem peperit, dum à bello revertitur. Post hæc Hierosolymam, Urbani Pontificis auxilio restauratam, & loca sancta invisendi amore accenditur: sicque Barchinona relicta, illuc proficiscitur; ut à solis ortu, usque ad occasum, magnalia Oldegarii annuntiarentur, & per extrema terræ verbum resonaret illius. Ivit, locaque sancta invisit lacrymabiliter, & ad reâdificandum Divinum Templum animarum multum profecit. Magno cum honore ab omnibus fuit receptus Episcopis, à Patriarcha præsertim Antiocheno, cum quo aliquos conversatus est dies. Postea vero à Tripolensi Episcopo magni habitus, Barchinonem revertitur anno MCXXII. ubi multas sedavit controversias, & pia loca construxit; & suo consilio decima monetæ restituta est Ecclesiæ Barchinonensi; & leges sanctas curavit Comitem per generale consilium erigere: Cumque Civitatem Genuensem curavit discordias sedando, statuere: dirutam autem Tarraconem, cum suis terminis, tradidit, & dedit Roberto Aguilionensi Principi ædificandam, nec deseruit Ecclesiam reâdificare. Suo consilio, subditos à gabella Comes liberavit: ejus morti adstitit. Vocatus tandem à Pontifice Innocentio, in illo inclementi sæculo, in quo Princeps Ecclesiæ, Christi Vicarius, in carcerem est traditus à pessimo Guillelmo Calabriae Duce: Leoque ferocissimus civis Romanus, sub Divi Anacleti nomine, Romæ Antipapa est factus, & Sanctas invadens Ecclesias, raptor earum est factus, qui earum impie caput vocabatur, parebant & multi Itali, præsertim Berengarius Siciliae Comes, cumque familiaris esset Rogerius, imo sanguine sociarius Comiti nostro; & non obstante amicitia, qua semper Gotalani

familiares filii Ecclesiæ Sanctæ fuerunt , nec noster Comes impedit Oldegarium , nec pessimis illis viris voluit unquam auxilium præstare : Convenit iste solus Hispanus ad Sanctum Claramontanum Concilium , quem gratitudinis causa , & gratanter recepit eum Innocentius , & honoribus cumulatam dimisit , & cum primum autem revertitur ad ambas Ecclesias ad perficiendam Tarraconensem Ecclesiam applicavit , multasque alias Ecclesias reædificans ; Sanctique Hierosolymitani Templi Religiosos in nostrum Principatum fundans ; Cæsaraugustam proficiscitur senioque confectus , cum de ultimo diei termino ante sex menses est admonitus , miraculis clarus , quievit in pace. Beatique nomine , & honore Ills. magna totius populi veneratione colitur ; cum enim jam senio confectus pene aliquid agere non posset , Synodum convocans , & crysoliti fervoris spiritu lacrymabiliter prædicans diem cum Domino gregem commendaret , & filiis hanc esse ultimam indiceret , magno omnium mœrore , ei finem imposuit : ætatis suæ sexaginta sex annis , religionis XLI. Episcopatus XX. Archiepiscopatus XVII. ac si in quiete dormiret , spiravit , & post annos duodecim miraculorum impetu translatus , nunc de sancta illius canonizatione curam gerunt Canonici. Acta & scripta sunt hæc ad Dei laudem anno MCCCXXIII. Miraculorum ejus librum specialem instituiam lingua materna , & multa plura referam , quæ nunc brevitatis gratia relinquam.

XXIII.

CHRONICON S. Petri VIVI SENONENSIS
ad an. 1108. Tomo II. Spicilegii Archeriani
col. 478.

Item in hoc eodem anno (MCVIII.) venerunt alienigenæ gentes exeuntes de finibus suis transmarinæ , quas quidam Amorræos , quidam Amirales vocabant , & fecerunt de se tres partes : quarum una tetendit super Sarracenos , duæ super Christianos. Et venerunt non longius quam est iter trium aut duorum dierum à Civitate Barcinona. Verum consilio accepto Barcinonenses , Comes scilicet & Episcopus , & Proceres , & compatriotæ quibus incumbabat ne-

cessitas, reclamaverunt advocationem Regis HLudovici, & miserunt ad eum causidicos suos, Episcopum scilicet ipsius Civitatis cum paucis nuntiis. Qui querimoniam suorum civium & compatriotarum ipsi Franciæ Regi referentes, invenerunt eum variis militiæ bellis implicitum, scilicet versus Regem Anglorum, Ducem Normannorum, qui contra jus & fas denegabat facere hominum quod debebat & debet Regibus Francorum. Similiter & Consul Pictavorum, & Dux Burgundiorum, & multi alii Consules qui sunt sub Rege Francorum. Cum quibus omnibus pro instante necessitate pacem fecit suprascriptus Rex, quibusdam inducias & treuvas dando, de quibusdam hominum debitum accipiendo. Unde confidens plurimum Rex spondit Legatis suprascriptis, se vere preparaturum ad ferendum illi patriæ auxilium. Et ad curiam suam quæ in Pentecostes futura erat (nam hæc fiebant in diebus præcedentis Quadragesimæ) dixit se suum consilium, ut dignitatem Regiam decebat, accepturum. Inde suprascriptus Episcopus cum sociis suis latus cum Regis gratia retrogradum iter arripuit. Tum temporis Abbas Arnaldus apud Urticidum quamdam villam S. Petri & S. Saviniani pro quibusdam opportunitatibus Mauriacensis loci demorabatur. Quæ villa in pago Arvernico sita non longius ab ipsa urbe, scilicet Arvernis, quam septem milliaribus abest, in publica via qua ad S. Ægidium itur. Illic didici à præfato Episcopo & sociis ejus quæ scripsi. (1) Addiderunt etiam & dixerunt quod supra scriptæ gentes à Monte pessulo non longius erant quam itinere quinque dierum, similiter & de S. Ægidio.

XXIV.

ACTA SANCTI CUCUFATIS

Ex Bonino Mombrizio, & Mss.

Sanctus Cucufatus ex Scillitana civitate nobilissimis ac ditissimis natalibus oriundus, cum Sancto Felice, ipsius civitatis æque illustrissimo, Cæsaream maritimam litterarum li-

(1) Vide pag. 249.

berallium studio migravit. Quo cum vacantes scholis pervulgata fama comperissent persecutionem Christianorum in Orientis partibus efferverisse, mox cum mercium pretiosarum varietate, non paucis etiam navium numero, se contulerunt Occidentali plagæ, sub negotiatorum specie ac nomine, sicque Barcinonam appulerunt: reperiuntque, etiam in Occiduis partibus impietatem Principum usquam grassari. Unde tempus imminere intelligentes, ut quod in lacrymis brevi tempore seminarent, in gaudio perpetuo metere, cœperunt operibus pietatis & eleemosynis, quibus sedulo fuerunt assuefacti, largius insistere; necnon verbum salutis privatim & per domos ad se confluentibus prædicare, donec universa quæ attulerant, officii misericordiæ potuissent impendere, & sic demum publice Christum confitentes & prædicantes, se ipsos, ut exitus rei demonstravit, superimpendere.

2 Quocirca unanimi condicte B. Felix ad Gerundensem Civitatem transievit, ubi divinis muniis se exercens gloriosum martyrium consumnavit. Sanctus autem Cucufatus in Barcinona urbe populosa remanens, una cum constantissima & apertissima fide & prædicatione etiam miraculis resplendere cœpit, & in omni gratia curationum excrevit: dæmones solo verbo expellebat, virtutem Domini confitentes etiam à credentium finibus perturbabat. Hoc audiens proconsul Galerius directis militibus eum sibi offerri jussit. Cui tribunali suo assistenti dixit: Cujus numinis, insanissime rebellis, patrocinium excolis, (1) qui Principum jussa contemnis, & deorum maximorum cultum refugis? Ad quem Sanctus constanter: *Quibus me, inquit, insipientissime cultum imperas exhiberi, qui non Dei arbitrio, sed arte fraudis diabolica & stultissimorum tibi que similium stoliditate adinventi sunt?*

3 Hac responsione Galerius nimio furore succensus, & seipsum ab ira non capiens, tortoribus eum tradidit, dicens: Tandiu torquete eum, quandiu extorqueatis ab eo spiritum. Cumque duodecim milites eum vicissim prolixius & exquisita crudelitate gravissime torquerent, adeo ut ejus intestina, durissima flagellorum torsione disrupto corpore paterent, clamavit dicens:

(1) Al nominis. *Breviarium vetus Barcinon*: Cujus te muniri patrocinio existimas &c.

Domine Jesu Christe, ostende virtutem tuam super incredulis, ut videntes aut credant & convertantur, aut pereant & destruantur. Impiissimum autem Galerium qui sic rabide insanivit in servum tuum, si non est predestinatus ad vitam, gladio tuo citius interime. Hac ejus oratione completa, videntes milites qui eum torquebant, intestina ejus in terram perfusa, cæcati sunt. Galerius quoque cum omnibus idolis suis est repente consumptus. Sanctus vero Martyr visceribus in alyum receptis, citius divina operatione sanatus est. Quos gratias agente, omnes quoque populi laudaverunt Deum, dicentes: Tu es verus Deus quem Sanctus Cucufatus colit.

4 Ut autem hæc ad præsidis Maximiani notitiam perlata sunt, jussu ejus viri crudeles catenarum eum pondere fatigatum ad ipsum consilium perduxerunt: qui interrogatus ab eo, quem Deum coleret, respondit: *Quare sub dubietate de Deo interrogas, quasi aut dii plures sint, aut ipse qui Deus est, divisus sit? Ego enim alium Deum nescio præter eum verum qui fecit cælum & terram, quem corde credo, & omni studio prædico.* At ille: Si verus est Deus tuus, quem tu dicis, nunc eripiat te de manibus meis, & de præparatis tibi tormentis. Ad hæc Sanctus: *Teque, nefandissime, & patrem tuum diabolum cum omnibus exquisitis tormentis, que mihi irrogaveris, irrideo, & per virtutem Dei despicio: vere enim summa dementiæ es & extremæ miseriæ, qui dereliquisti Deum, & adoras thecas demoniorum.* Tunc præses insaniens, in craticula jussit eum assari, & combustum sinapi & aceto perfundi. Miles autem Christi psallebat dicens: *Exaudi Domine justitiam meam &c.* Cumque explicuisset psalmum, penitus sanatus est. Ministri vero pœnarum ab eodem igne consumpti sunt.

5 Post hoc jussit præses ignem copiosum extra Civitatem fieri, & Sanctum in eo concremari: qui illic projectus oravit, & ignis ita extinctus est, ut nec tepor quidem incendiæ remaneret, & ipse penitus illæsus apparuit. Tunc præses jussit eum ferro vinctum in custodiam reduci: Clausoque ostio carceris tantus splendor ibidem refulsit, ut eodem lumine viso custodes in Dominum Jesum Christum crediderint. Mane autem præsidi Martyr præsentatur: ejusque jussu cardis ferreis & taureis caditur: Et dum cæderetur, suspiciens in Cælum cum grandi fletu oravit

vit & grátias egit : Et vox de celo insonuit : Quodcumque petieris , dabitur tibi secundum fidem tuam. Qua audita oravit Sanctus , ut Dominus ei virtutem omnia superandi daret , & ut tyrannus Maximianus , si Dei iudicio converti non posset , celerius cum omnibus idolis suis interiret. Maximianus denique Aras ornari iusserat , ut idolis sacrificia cum Sacerdotibus offerret : Et ascenso curru , illoque tendens , in medio fori nutu Dei in terram cecidit , & miserabiliter crepans interiit : idola quoque quibus ad immolandum ire volebat , corruentia , in pulverem sunt redacta.

6 Tunc omnis populus adorans , clamare cœpit & dicere : Magnus est Deus Christianorum , & potentissimus liberator eorum. Ruffinus autem qui in Civitate præse videbatur , ait Sancto Martyri : Ut quid , ò nequissime tantam multitudinem deos maximos blasphemare facis ; & nescio cujus nomen , qui dicitur Christus , confiteri ? Qui cum rationem reddidisset , jussu Ruffini caput ejus amputatum est. Cujus corpus Christiani rapuerunt , & conditum aromatibus honorifice sepelierunt octavo Kalendas Augustas. *Hucusque Acta Mombri. Addunt ex Mss. Bolandiani.*

7 In quo loco sepulturæ ejus virtus Domini nostri Jesu Christi per Sanctum suum Martyrem petentibus benignum præstat auditum , & piæ petitionis largitur effectum ad laudem & gloriam nominis sui , (1) qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Hic Acta terminantur in variis Mss. Codex vero S. Maximini Trevir. apud Bolandianos, addit :*

8 Passus est autem Beatus Cucuphas [pro] gloriosa confessione Christi nominis , & sepultus apud Barcinonam , ut diximus , octavo Kalendas Augusti ; indeque translatum est honorabile corpus ipsius à Fulrado reverentissimo & glorioso Abbate Cœnobii Sanctorum Martyrum Dionysii pretiosi , Rustici & Eleutherii , quarto (2) Kalendas Martii in cellam ejusdem Cœnobii , quam idem Fulradus in suo proprio munificentia divæ memoriæ Domini Caroli imperatoris construxit , & patrono suo gloriosissimo Dionysio tradidit ; quæ sita est in saltu Vosago , & appellatur Le-

(1) *Barcinon. Codex addit, usque in odiernum diem.* (2) *Scrius, XIV. cui standum.*

braba. Quo tempore in modicum inhumatum, ut allatum fuerat, jacens, expeditiore consilio religiosi patris atque præfati Monasterii Abbatis Hilduini solerti studio & devotissimo desiderio (ut erat Dei & Sanctorum amator & cultor) in crypta ante pedes ipsius sanctissimi Dionysii sociorumque ejus, quam idem Hilduinus in honorem Dei & Sanctæ atque intemeratæ Genitricis ejus, Sanctorumque omnium, ædificavit, anno Incarnationis dominicæ octingentesimo, (1) die autem octavo Kalendarum Septembrium, veneratur humatum.

XXV.

VITA ET MARTYRIUM S. CUCUPHATIS,

ex vetustis MSS. libris, mutato passim stylo per Fr. Laur. Surium. (sed modice admodum & fideliter, ut Boschius animadvertit)

BEati Cucuphatis clarissimi martyris tanta sunt merita, tanta in certamine fortitudo, ut humanam, eorum in primis fidem videatur excedere, qui non credunt divinæ potentia & omnia possibilia esse credenti. Ortus fuit in Scyllitana urbe nobilissimis parentibus, & inter suos singulari magnificencia opulentissimis naturalibus. Sed ille fide & moribus longe se nobiliorē præstitit. Erat in eadem civitate Felix quidam, æquè illustri prosapia. Cum illo profectus est Cæsaream, quæ est ad Mauritaniam littus sita, ut liberalibus litteris operam navaret. Ubi autem pervulgata fama compererunt, persecutionis immanitatem nimio æstu fervere in Oriente sub Satanæ administris Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, illi cum multis navibus, non mediocris pretii mercibus & opibus onustis, in Occidentem profecti sunt, mercatorum præ se habitum & formam ferentes: ut erant revera negotiatores Domini nostri Jesu Christi. Cumque Barcinonem appulissent, repererunt usque adeo dictorum principum impietatem

(1) *Apud eundem, 835.*

usquequaque male grassari, ut nec in occiduis Orbis partibus superesset Civitas, municipium, vicus vel possessio, ubi non esset statutum idolum: cui quisquis nollet thura ponere, illi fas non erat quippiam emere, nec beneficium vel commodum aliquod aut accipere, aut conferre. Itaque animadvertentes devoti cultores Dei, tempus jam adventare, quo virtus Dei & Domini nostri Jesu Christi manifestaretur, brevi tempore in lacrymis seminarent, ut in gaudio sempiterno meterent: cœperuntque operibus pietatis & eleemosynis, quibus sedulo assueverant, etiam largius præstandis vacare, fide, castitate, sobrietate, mansuetudine, eximia charitate, erga omnes benignitate, denique virtutum omnium splendore ceu clarissima cæli luminaria coruscare, omnium se mentibus & amoris officiosissime insinuare: tum quoque verbum salutis privatim & per domos ad ipsos confluentibus prædicare, donec res suas omnes, quas eo attulerant, misericordiæ officii impendissent, atque ita ad extremum, Dominum Jesum publica voce confitentes & annuntiantes, seipsos, ut rei declaravit eventus, superimpenderent.

2 Porro communicato inter ipsos consilio, beatus Felix Gerundam abiit, & illic pro Christo sanguinem fudit. Cucuphas autem Barcinone urbe populosissima remanens, præter constantissimam & insuperabilem veræ fidei prædicationem, etiam miraculis egregie ornatus est. Non enim potuit diu in tenebris latere tantum lumen. Denique ita in omnium gratia curationum excrevit, ut nemo fideliter ab eo petens adversum quosvis morbos & molestias remedium, non sine mora in nomine & virtute Domini nostri Jesu Christi id consecutus sit. Dæmones etiam solo expulit verbo, & virtutem Christi confitentes, à credentium finibus exturbavit. Audiens vero hæc Galerius proconsul, milites misit, quæ eum ad ipsum adducerent: ac deinde ad tribunal assistenti dixit: Ecquod numen colis, rebellis insanissime, qui, ut audio, invictissimorum principum jussa contemnis, & maximorum deorum omnipotenti majestati cultum impendere non vis? Respondit sanctus Cucuphas cum ingenti constantia: Itane mortalium omnium insipientissime ea me jubes simulacra adorare, eosque deos colere, qui non veri Dei voluntate, sed fraude & versutia malorum dæmonum, & stultissimorum tuique similium hominum vecordia & amentia inventi & conflati sunt. Ea responsione incredibili men-

tis furore inflammatus proconsul, tortoribus ait, ut donec spiritum ab illo extorquerent, non cessarent atrocissime illum flagellare.

3 Accedunt igitur per vices duodecim milites, & exquisita crudelitate ita eum flagellis laniant, ut dirupto corpore viscera ejus conspicerentur. Tum vir sanctus magna voce clamavit: Domine Jesu Christe, qui omnia tuo præcepto fundasti, qui me de limo fragili solidam substantiam & rationalem creaturam finxisti: præsta mihi servo tuo, ut virtutem tuam intelligens, hæc propter te & possim & ardentem concupiscam tolerare, qui cernis omnia, & pro sancto nomine tuo cum diabolo & ministris ejus, & cum ipsius quoque carnis meæ doloribus me certantem vides. Ostende virtutem tuam incredulis, qui nomen tuum persequuntur: ut videntes mirabilia tua, credant & convertantur: aut certe pereant, & destruantur. Porro impiissimum Galerium, qui tanta rabie sævit in servum tuum, si non est prædestinatus ad vitam, divino citius gladio interfice. Cum hæc dixisset, & milites viderent viscera ejus in terram profusa, cæcitate percussi sunt, & Galerius Proconsul cum omnibus idolis suis, quibus electum Christi martyrem sacrificare cogebat, repente consumptus est. Ipse vero martyr, visceribus intra ventrem restitutis, dicto citius operatione divina sanatus est.

4 His itaque gestis expansis in cælum manibus, dixit: Gratiâs tibi ago Omnipotens Deus & mundi Salvator, qui es ab æterno, & permanes in omnem æternitatem: qui in te credentium preces non despicias, qui cum sis ubique totus, mihi hic adesse dignaris: qui ea manu potentia, qua me primo plasmasti, jam denuo omnipotenti gratia instaurasti, tuique nominis hostes perdidisti.

5 Tum vero populus omnis dedit laudem Deo, & toto pectore voces in cælum tollens, dixit: Tu es verus Deus, quem Sanctus Cucufas colit: tu es Deus, neque est alius extra te, qui facis hæc mirabilia: tu es Deus vivus & verus, regnans in sæcula sæculorum. Amen.

6 Tunc Sanctus Cucufas silentium indicens, cum cessasset ejusmodi populi clamores, ait: En vos ipsi videtis, quam admirandas res faciat verus Deus, quem ego prædico vobis. In illum ergo credere debetis, & illum adorare. Itaque fratres mei abjicite idola, hominum manibus facta, quibus nec vox, nec auditus,
nec

nec gustus, nec sensus ullus, nec ulla virtus inest: quæ nec sibi possunt consulere, & sui cultores mittunt in ignem æternum. Interea perlata sunt hæc ad Præsidentem Maximianum, qui jussit, ut sacratissimum Domini testem, atrocissime vinctum, coram se sisterent. Itaque Niloximus & Hastraximus, viri & potestate & crudelitate ceteris, qui erant in officio, insigniores, gravissimo catenarum pondere fatigatum, ad Maximianum Præsidentem perduxerunt: dixitque ei Præsides: Undenam es tu? inquilinus ne, an peregrinus & alienigena? S. Cucuphas respondit: Quid sciscitaris de patria & genere meo, quæ tibi Deus indicare noluit? Maximianus ait: Quem tu ergo Deum colis? S. Cucuphas respondit: Quid ita sub dubio de Deo interrogas, quasi aut plures dii sint, aut Deus ipse dissectus sit? Equidem alium Deum non novi, preter eum, qui est Deus vivus & verus: qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, quem corde credo, & ore confiteor, atque omni studio prædico. Maximianus dixit: Si verus est Deus, quem tu dicis, veniat nunc, & eripiat te de manibus meis, & de suppliciis tibi præparatis. S. Cucuphas dixit: Quæ vero mihi parata sunt, scelestissime? Ego & te & patrem tuum diabolum, cum omnibus exquisitis suppliciis, quæ mihi ut satanæ administer irrogaveris, irrideo, iis plane insulto, & per virtutem nominis Domini Jesu Christi ea despicio. Maximianus ait: Video, miser, multa te esse animi pertinacia, qui etiam maleficis artibus tuis deos nostros contrivisti. S. Cucuphas subridens, dixit: Putavi, miser, aliquam saltem in te scientiæ particulam residere: sed ut video, summæ dementiæ es & extremæ insaniæ: qui cum dereliqueris, velis nolis, Deum tuum, dæmonum statuas adoras, iisque, secundum scripturæ divinæ imprecationem, similis factus es, quorum dux est diabolus princeps vester: putasque minis frangere te posse servum Dei.

7 Tum Maximianus, satanico furore correptus, jussit beatum martyrem in craticula assari, & ambustum, sinapi & aceto perfundi. Sed sanctissima hostia, invictissimus Christi miles, psallebat: Exaudi Domine justitiam meam, intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis, & reliqua usque in psalmi finem. Cumque Psalmum absolvisset, ita est sanitati redditus, acsi nihil perpessus esset: pœnarum autem administri, ab igne consumpti sunt. Postquam hæc Maximia-

nus audivit, furorem furori adjungens, præcepit Christi athletam ferro onustum suis adspectibus præsentari, dixitque illi: Multa vis est præstigarum tuarum, sed per deos magnos, atrocissimis ego tormentis te interficiam. S. Cucuphas respondit: O virulenta lingua diaboli, quid ita procaciter absque opere minaris? Age, quod acturus es: prorsus enim nullius apud me ponderis sunt minæ tuæ.

8 Jussit ergo Maximianus ignem copiosum extra urbem accendi, ut sanctum Dei martyrem concremaret. Cumque eum officiales coniecissent in ignem, sublatis in cælum oculis, dixit: Adesto nunc mihi Domine Jesu Christe, qui in ardenti fornace tribus fidelibus pueris tuis adfuisti, & in te credentibus, æternos & intolerabiles gehennæ ignes tuo sanguine extinxisti, ad quos ire non metuit impiissimus præses Maximianus: qui perspecta modo potentia tua pudefiat. Prece completa, ita ignis omnis extinctus est, ut nec tepor quidem incendii supereset, & vir beatissimus ab omni flammæ vapore illæsus & intactus, in has divinæ laudis voces erupit: Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Ubi id vidit Maximianus, pudore affectus, dixit custodibus: Ferro vinctum reducite eum in custodiam, donec excogitemus nova genera pœnarum.

9 Retruditur ergo sanctus Dei martyr in carcerem, & gravissimo ferri atque catenarum pondere oneratur. Cumque vesperi ingrederetur in carcerem, psallebat: Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Clauso autem ostio carceris, tantus in eo splendor refulsit, ut eo conspecto, custodes carceris crediderint in Christum. Post multam vero fidei doctrinam, beatus Cucuphas gratias agens Deo: Satia, inquit, Domine Jesu animas esurientium & sitientium sanguinis tui recreatione. Hæc sancto martyre orante, mane admodum transmissis apparitoribus, Maximianus eum sibi jussit præsentari, dixitque ad eum: Adhuc perseveras in insania tua, nec vis redire ad sanitatem? S. Cucuphas respondit: Te plane obtinet insania, qui patris tui diaboli jussa capessis, nec vis cognoscere verum Deum: tecumque pariter hanc multitudinem perdis. Iis verbis gravissime commotus Maximianus, dixit militibus: Cædite eum virgis ferreis & taureis, ut exterminetur caro ejus. Dum autem caderetur suspiciens in cælum vir sanctus
cum

cum multis lacrymis dixit: *Gratias tibi ago, omnipotens Deus, Domine Jesu Christe: appropinquavit enim mihi, gratia tua. Exaudi Domine preces servi tui, & pudefac impiissimum Maximianum: ut omnes qui credunt in verum Deum, videant mirabilia tua, & corroborentur in fide sua.* His dictis, vox cælitus audita est: *Quidquid petieris, dabitur tibi secundum fidem tuam.* Tum beatus Martyr ita oravit: *Confirma Deus hoc, quod operatus es in nobis. Corroborata cor meum, & da vires servo tuo ad superanda tela omnia nequissimi hostis. Ego enim cognosco te verum Deum. Quod si justo judicio tuo periturus est Maximianus, fac, ut celeriter intereat cum patre suo diabolo & omnibus daemonum idolis.* Juserat autem Maximianus ornari aras, ut dæmonibus sacrificia offerret cum pontificibus. Cumque ascenso curru eo tenderet, in medio foro nutu Dei in terram decidit, crepuitque misere, & extinctus est. Porro idola, quibus volebat immolare, pariter collapsa, & in pulverem redacta sunt.

IO Quæ ut vidit populus, summa vocis contentione dixit: *Magnus est Deus Cucuphatis, & verus est Deus Christianorum, eorumque potentissimus liberator.* S. Cucuphas ait: *Tibi laus Domine Jesu Christe, tibi gratiarum actio, tibi omnis debetur honor & adoratio. Tibi Deus omnipotens gratias ago, te intus & foris glorifico, qui incredulos evertis, & te diligentes extollis.* Tum Rufinus quidam, qui civitati præesse videbatur, ita populum affatus est: *Quid ita à paterna religione & cultu degeneratis, & hac perfidia generi vestro ignominiam affertis, relictis magnis diis, ignotum adorantes? Responderunt omnes: Cur nos hortaris illos colere, qui non sunt dii, sed opera manuum hominum? Equum est, in illum potius nos credere, illumque adorare, quem S. Cucuphas confitetur & colit. Ait autem Rufinus ad Christi martyrem Cucuphatem: improbissime, cur tantæ multitudini persuades deos maximos blasphemare, & nescio cujus Christi nomen confiteri? S. Cucuphas respondit: *Nos confitemur viventem, & adoramus immortalem: vos autem illos adoratis, quibus nec vox, nec auditus est, perituri haud dubio cum illis in judicio sempiterno.* Tum Rufinus ait spiculatoribus: *Nunquam hunc rebellem superabimus, nisi gladio in illum animadvertamus. Dictavit ergo hanc in eum sententiam: Cucuphatem adversus principes nostros rebellem, & diis magnis sacrificare contemnentem, gladio feriri jubemus.**

11 Ea lecta sententia, spiculatores eum extra urbem abduxerunt ad locum, qui *Tianus* dicitur, octavo ab urbe milliario, ut illic eum capite punirent. Oravit tunc eos S. Cucuphas, ut breve precandi spatium ipsi præberent. Illis annuentibus, humi se prosternens, dixit: *Deus omnipotens Domine Jesu Christe, qui fecisti omnia in virtute tua, & regnas cum Patre & Spiritu Sancto, fac misericordiam cum me seruo tuo, & suscipe animam meam in pace. Scis enim Domine, quod toto corde desideravi te.* His dictis, caput ei amputatum est. Porro Christiani rapuerunt corpus ejus, & cum digna veneratione sepelierunt octavo Calendas Augusti. In eo autem sepulturæ ejus loco virtus Domini nostri Jesu Christi per sanctum suum martyrem petentibus benignas præbet aures, & piis precibus præstat effectum in laudem & gloriam nominis sui: Qui cum patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. (1)

12 Passus est beatus Cucuphas pro gloriosa confessione nominis Christi, & sepultus apud Barcinonem octavo, ut diximus, Calendas Augusti. Inde vero postea translatum est venerabile corpus ejus à Fulrado reverentissimo & religioso Abbate Cœnobii Sanctorum martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii XIV. Calendas Martii, in cellam ejusdem Cœnobii, quam idem Fulradus in suo proprio munificentia divæ memoriæ Caroli Imperatoris construxit, & patrono suo eximio Dionysio tradidit: quæ quidem sita est in saltu *Vosago*, diciturque *Lebraba*. Ubi cum aliquandiu ita, ut allatum erat, inhumatum jacuisset, religiosi patris & ejusdem Monasterii Abbatis Hilduini expeditiori consilio, solerti studio & ingenti desiderio (ut erat Dei & Sanctorum ejus amator & cultor) in crypta ad pedes beatissimi Dionysii sociorumque ejus, quam idem Hilduinus in honorem Dei, & sanctæ atque intemeratæ ejus Genitricis & sanctorum omnium extruxerat, Dominicæ Incarnationis octingentesimo tricesimo quinto, octavo Calendas Septembris humatum est.

(1) Vide pag. 341.

XXVI.

HYMNUS EX BREVIARIO GOTHICO

Toletano, quo etiam nunc utuntur
Muzarabes.

BArchinon læte Cucufati vernans,
Corporis sancti tumulum honora:

Et locum sacri venerans sepulchri

Sparge ligustris.

Munus hoc clarum tibi Scillitana

Civitas misit, dedit & beatum

Quando (1) Felicem populis Gerundæ

Sorte colendum.

Hi sequestrato tumulis honore,

Proprias sedes adeunt tuendas:

Barchinone hic celebratur aula,

Ille Gerunda.

Hinc cruor hujus Cucufatis almi

Factus est nostræ regionis heres:

Inde hic nobis sua membra ponens

Vivere præstat.

Hic fide plenus redamando Christum,

Lucis infestum patitur tyrannum;

Moxque bis seno teritur beandus

Milite tortus.

Cæde percussus nimia furentis,

Viscera fudit quasi peritura;

Quæ reformata recipit in alvum;

Sanus ad horam.

Missus in flammis, precibus minacem

Ignis admoti perimit vigorem.

Nequit ardere nimis in beato

Corpore flamma.

Cra-

(1) *Bivar*, y *Tamayo* imprimieron quoque en lugar de quando. El *Muzarabe* pone *quõ*, que no alude à *quando*, sino à *quando*.

Cratis ignitæ facibus cremari
 Jussus: ardoris nutrimenta gliscunt;
 Sed nihil famulo nocent rigores
 Suppliciorum.

Sustinet posthinc Pius ille cardos
 Ferreos in se ferientes ictu.
 Sicque decisi capitis in athera
 Spiritus efflat.

Jam fave, Martyr, precibus clientum;
 Instrue & civem; populum tuere;
 Et Sacerdotum pia corda mulce
 Pacis amore.

Crimine dempto anima virescat:
 Pane cælesti satiemur omnes:
 Crimine lapsa vitiata membra
 Spiritus ornet.

Non ruinosi perimantur artus
 Non cibus corpus vitiisque pressum:
 Non in occultis animæ cremenur
 Igne malorum.

Ut pia tecum, Cucufas beate,
 Regna cælorum meritis tenentes,
 Det Deo nostro resonans placentem
 Lingua canorem.

Gloria Patri celebrent honore:
 Gloriam Nato recitent superni,
 Cum quibus Sanctus sociatus extat
 Spiritus unus. Amen.

XXVII.

ADO IN SUO MARTYROLOGIO sub die XXV. Julii.

IN Hispaniis, Civitate Barcinona, S. Cucufatis martyris, qui
 ex Civitate Scillitana oriundus fuit, & Barcinonæ sub Galerio
 proconsule, & Maximiano, & Rufino passus. Primo gravissime
 tor-

roitus & cæsus, deinde catenis adstrictus in craticula superextensus, aceto & sinapi perfusus, assari jussus est. Cum vero ab igne & flammaram globis illatus apparuisset, ex præcepto impij Judicis extra civitatem ductus, in ignem copiosum iterum projectus est. Quo divino nutu extincto, iterum ferro vinctus, in custodia retrusus est, ubi divino splendore consolatur. Iterum cardis ferreis & taureis crudelissime cæsus, in ultimo, dictata sententiam: *Cucufatem rebellem principum, & diis sacrificare nolentem, gladio feriri jubemus*; VIII. milliaro à Barchinona perductus, ferroque animadversus, martyrium consummavit. Cujus corpus à Christianis cum reverentia sepelitur. Unde postmodum translatum, non longe à Parisiorum civitate, in Ecclesia beatorum martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii, cum honore tumulatum est.

XXVIII.

PASSIO BEATISSIMI MARTYRIS
Cucufatis, qui passus est Barchinona in Civitate
sub Maximiano Imperatore, & Galerio Præ-
side die VIII. Kalendas Augusti.

Deo gratias.

Ex Codice Gothico Caradignensi prope Burgos, nunc primum edita.

MAGNUM, & admirabile, valdeque perspicuum, ingen-
que miraculum cunctis apparuit super Sanctos Dei fam-
ulos FELICEM, & CUCUFATEM Martyres, quibus tanta
erat alacritas animi, ut ad agonem certaminis illico pervenirent.
Et quia ab Scillitana urbe oriundi erant, atque in eadem se pari-
li sensu litteris imbuebant, contigit eis Barchinonensem contingere
civitatem. Inde S. Felix divina miseratione protectus in Gerun-
densem Civitatem se contulit, ibique multa magnalia gerens, dig-
ne martyrium consummavit: Sanctus quoque Cucufas Barchinonen-
sis Civitatis dignus, Deo propitio effectus est martyr, tantam-
que in eodem Dominus suam gratiam infudit, ut antequam in

agonem martyrii certaret, per orationem suam demones effugaret, & multa mirabilia populo Dominus per eundem demonstraret.

2 Dum sedule in eadem Civitate permaneret, impiissimus Galerius Proconsul, directis militibus suis, sibi eum jussit offerri, cui & dixit: Cujus te muniri presidio, vel patrocinio extimas, quia principum jussa non obaudis, neque Deos magnos adoras? S. Cucufas respondens, ait: *Cur me cogis adorare, qui sine arbitrio dii facti sunt, tibi similes?* Statimque Galerius Proconsul ira accensus gravem eum jubet subire sententiam, & tradens eum tortoribus, dixit: Torquendo exalate ejus spiritum, & dum S. Cucufas à militibus duodecim torqueretur, & graviter eum caderent sic, visa sunt viscera ejus effundi in terra, & omnes milites, qui eum torquebant, videntes eum obcæcati sunt; & subito Domini misericordia ita reddidit illum sanum, ut quasi nullam perpessus fuerit injuriam. Cumque hæc pateretur Sanctus Dei Martyr dixit: „Domine Jesu Christe, qui cuncta prospicis, „& omnia tuo præcepto fundantur, ostende virtutem tuam in „credulis; ut qui nomen tuum persequuntur, confundantur, ut „videntes mirabilia tua, aut credant, & convertantur; aut pe- „reant, & destruantur: Impiissimum namque Galerium divino „interime gladio, qui sic insanit in servum tuum. Quod ita fa- „ctum est: & consumptus est Galerius Proconsul cum omnibus „idolis suis.

3 Cumque hæc vidisset S. Cucufas, extensis manibus ad Cælum, effundens orationem, dixit: „Gratias tibi ago, Omnipotens Deus, & Salvator mundi, qui preces credentium te, non „despicis, sed in æternum permanes. Tunc omnis populus laudem dedit Deo Omnipotenti, quia ipse est Deus verus in sæcula sæculorum. Sanctus vero Cucufas ait ad populum: „Ecce videtis quanta mirabilia fecit Dominus; & ideo relinquitte manu- „facta hominum, quæ sunt sine voce, & absque auditu, vel sine gressu; & credite in Deo vivo æterno, qui omnia plasma- „vit ex nihilo.

4 Tunc Maximianus impiissimus dat jussionem omnibus, ut eum comprehenderent, & vinculatum suo conspectui præsentarent: sic viri præcellentissimi Atrancius, & Niloximus comprehendentes Sanctum Dei Cucufatem, cum gravi pondere catena-

rum perduxerunt eum ad ejus presentiam : cui Maximianus dixit : Unde es tu ? De his locis , an de alia regione ? S. Cucufas accinctus Dei potentia constanter respondens ait : „ Cur inquiris generationem , vel patriam meam , quam tibi Dominus manifestare noluit ? Cui ait Maximianus : Quem Deum te habere adtestaris ? S. Cucufas , dixit : Ego credo Deo vivo , qui fecit Cælum & terram , mare , & omnia quæ in eis sunt. Maximianus dixit : Si verus Deus est , quem dicis , veniat & eripiat te de manibus meis , vel de tormentis , quæ tibi præparata sunt. Respondens S. Cucufas dixit : Quæ mihi præparata sunt nephande ? Maximianus dixit : Conspicio in te , infelix , gravem esse pertinaciam ; & quia per artem maleficii tui Deos nostros conculcasti. Sanctus itaque Cucufas subridens ait : „ Vere miser , arbitrabam te aliquam particulam habere sapientiæ ; sed ut intuitus sum , summa est dementia in te , qui derelinquis Deum viventem , & adoras thecas dæmoniorum , quibus tu similis es cum principe tuo diabolo.

5 Maximianus accensus furore , jussit eum in craticula assari , & super eum acetum , & sinapem perfundi. Cumque completum fuisset quod jusserat , Dei misericordia præstante nihil ita nocuerunt Sancto Viro ; Ministri vero pœnarum ab eodem igne consumpti sunt. Cumque hæc Maximiano nuntiata fuissent , furore repletus jussit eum ferro vinctum suo conspectui præsentari , cui & dixit : Multa malorum tuorum præstigia , vel maleficia prævalent : per Deos magnos quoniam faciam te per iniqua tormenta interimere. Sanctus vero Cucufas constanti animo respondit : O virosa diaboli lingua , quid mihi minaris ? nam minæ tuæ apud me nihil sunt.

6 Tunc Maximianus jussit ignem copiosum extra Civitatem fieri , ut Sanctum Dei Martyrem concremaret : & cum eum in ignem misissent , coepit S. Cucufas ex igne ad cælum oculos levare dicens . „ Domine Jesu Christe , qui tertia die à mortuis resurrexisti , qui omnia arbitrio tuo instituisti , libera me ab istius ignis ardore , & da confusionem huic impio Maximiano. Oratione autem facta , Domini protegente misericordia , ignis extinctus est , & illæsus apparuit , ac psallebat dicens : Transivimus per ignem & aquam , & induxisti nos in refrigerio. Videns vero hæc mirabilia Maximianus , confusus dixit custodibus : Ferro vinctum duci-

te eum in custodia, dum excogitamus nova genera tormentorum.

7 Reruditur Sanctus Dei Martyr cum gravi ferro pondere catenarum, & cum ingrederetur carcerem beatus ille, psallebat dicens: Dirigatur oratio mea, Domine, sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Et clauso ostio carceris, tantus splendor gratiæ in eodem loco apparuit, ut custodes carceris videntes hoc, statim crederent in Dominum Jesum Christum. Sanctus vero Cucufas cœpit gratias agere, dicens: Satiasti, Christe, animas esurientium, & sitiendum sanguinis tui recreatione. Cumque hæc S. Martyr oraret, Maximianus directis militibus suis, Sanctum Dei Martyrem sibi jussit offerri, & dum ei oblatus fuisset, Maximianus eum interrogavit dicens: Adhuc perseveras in insania, qua cœpisti, & non reverteris ad sanam mentem? S. Cucufas respondit: Insania te possidet, qui patris tui diaboli jussa perficis, & quis sit verus Deus non agnoscis: unde & hanc multitudinem, quam tibi congregasti tecum perire facis.

8 Tunc Maximianus furore repletus militibus dixit: Cædite eum ad cardos ferreos, & tauris nervis nudum, ut exterminetur caro ejus. Sed cum S. Cucufas cæderetur, levans oculos ad cælum, cum gravi fletu ait: „ Gratias tibi ago, omnipotens Deus, „ quia appropinquavit ad me gratia tua Exaudi preces servi tui, „ & da confusionem impiissimo huic Maximiano, ut omnes qui „ te credunt verum Deum, videant mirabilia tua, & corroborentur in fide sua. Et completa oratione, vox de cælo dixit ei: *Quodcumque petieris, dabitur tibi secundum fidem tuam.* Cumque hæc audisset Sanctus Dei Martyr, orare cœpit, dicens: „ Confirma hoc Deus, quod operaris in me: confirma cor meum, „ & da virtutem servo tuo ad omnia inimici tela toleranda; quia „ te cognovi verum Deum, & præsta, ut tyrannus princeps cum „ suis idolis, & cum patre suo diabolo celeriter intereant. Maximianus autem aras ornari jussit, ut eis sacrificium offerret cum Sacerdotibus, & sedens in curru in medio foro, ex præcepto Dei, & gloria divinitatis cecidit in terra, crepuit, & mortuus est. Idola quoque ejus dimersa sunt in momento, & in pulvere reducta sunt.

9 Tunc omnis populus cœpit clamare & dicere: Magnus est Deus Cucufatis, & verus, omnium Christianorum, & liberator

eorum. Sanctus vero Cucufas cœpit dicere: „Tibi Omnipotens „Deus, gratiarum actiones persolvo, atque intra extraque glo- „rifico; quia destruis incredulos; & corroboras qui te diligunt.

10 Tunc Rufinus, qui Civitati præesse videbatur, cœpit suadere populum, dicens: Quare perfidi estis, & generationi vestræ datis opprobrium, & derelinqentes Deos magnos adoratis quem nescitis? Responderunt omnes, & dixerunt: Cur nos hortaris servire Diis alienis? Nam credere nos oportet in eum, quem Sanctus Cucufas adorât, & confitetur. Tunc Rufinus accensus furore diabolico sic ait ad S. Cucufatem: Tu es qui facis multitudinem hanc blasphemare Deos per nescio cujus nomen, qui dicitur Christus? Respondit S. Cucufas, dicens: „Nos confitemur „viventem, & adoramus immortalem, nam vos adoratis, qui si- „ne auditu, & sine voce sunt, cum quibus vos ipsi damnandi „eritis in iudicio aeterno.

11 Audiens hæc Rufinus furore repletus dixit spiculatoribus suis: istum rebellem, si gladio non interfecerimus, nulla ratione vincere poterimus. Tunc crudelissimus Rufinus dictavit sententiam dicens: Cucufatem rebellem principum nostrorum, qui diis nostris sacrificare noluit, gladio percuti præcipimus; Spiculatores vero, accepta sententia, ejicientes eum extra civitatem, ut præceptum eis fuerat, ad locum huic Obtiano, quod situm est à civitate octavo milliario, perductus est. Sanctus vero Cucufas rogavit eos, ut spatium ei orandi præstarent; cumque Spiculatores præbuisent adsensum, prosternens se in terra oravit dicens: *Deus Omnipotens, qui fecisti omnia in tua virtute, & regnas trinus in unitate, fac misericordiam cum servo tuo, & suscipe in pace animam meam.* Completa oratione, amputatum est caput ejus ab spiculatoribus Tunc Christiani rapuerunt corpus ejus, & cum dignis laudibus sepelierunt: in quo loco virtus dominica cooperatur per Sanctum Dei Martyrem usque in hodiernum diem regnante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum gloriosum in Trinitate unum permanet per numquam finienda sæcula sæculorum. Amen.

F I N.

INDICE

DE LAS COSAS NOTABLES
de este Tomo XXIX.

A

Actas de Sanctos. Sus distinciones. Pag. 332.

Adalauda, Abadesa del Monasterio de las Puelas. 201.

Adaulfo, Obispo de Barcelona. 180. Dió su casa à la Dignidad. 181. Segregó el Conda- do de Pallares, y se intitulaba Obispo Pallarense. 198.

S. Adrian, Iglesia. 213. Se fundó en ella Monasterio de Canonigos de N. P. S. Agutin. 241. 257. Allí fue Prior San Olegario. 241.

Accio ó Ecio I. Obispo de Barcelona. 49.

— II. 208.

Ager; su Iglesia de S. Nicolás. 247.

Agricio Obispo de Barcelona. 120.

S. Agustin, elogió à Olimpico. 78.

Aimerich (Matheo) 183. 194. 263.

Aizon. 152.

Albano, Castillo. 204.

Alberto, Obispo atribuido à Barcelona. 50.

Aledramno, Conde. 173.

Aledran, Gobernador de Barcelona. 158.

Alfonso Rey de Aragon y Conde de Barcelona. 177. Llamose D. Ramon. *Alli*.

Alejandro, Obispo de Barcelona. 49. 50.

Almerudis, Condesa. 174.

Almodis, Condesa de Barcelona. 175. 176.

Amaralico, se vino à Barcelona. 29.

Ametlla. Día y año en que se consagró su Parroquia de S. Ginés. 264.

S. Anastasio y Compañeros MM. 355.

Anonimo de Ripoll. Vease *Ripoll*.

Apiaria, lugar, llamado hoy, Piera. 224.

Aqualonga. Consagracion de su Iglesia de S. Christoval. 226.

Aquicaldenses. 37.

Ariberto (Odon) 153.

Armengaldo, Obispo atribuido à Barcelona. 50.

Arnulfo, Metropolitano, asesinado cruelmente. 198.

Aru-

Arulense, Monasterio. 173.
 Arriaran, Villa. 161.
 — Castillo. 163.
 Asorano, pueblo. 27.
 Astorga (D. Diego de) Obispo de Barcelona. 74.
 Ataulfo, residió en Barcelona, en donde le mataron. 28. Su Epitafio. *Alli.*
 Ava, Condesa. 170.
 Audoardo. Vease *Teodardo.*
 Ausona (Iglesia de) pagaba tributo à la de Narbona. 196.

B

Badalona. 31. Sus Martires. 355.
 Bages, consagracion de su Iglesia de S. Benito. 202.
 Baillet, impugnado. 303. 336. 341. Algunos le nombran con el dictado del *Legendista Galo.* 348.
 Baion, faccionario. 184.
 Balbastro. Su Sede trasladada allí desde Rota. 198.
 Balbo (Luis) Rey de Francia, bienhechor de la Canonica de Barcelona. 193.
 Balncolense. Dedicacion de la Iglesia de su Monasterio. 239.
 Bañeres, Castillo. 221.
 Barcelona. Cabeza de Provincia.
 1. Su antigüedad, y sus dictados. 2. y sig. 5. 7. Sobre su fuadacion. 3. En tiempo de Christo era pueblo pequeño. 4. y 10. Fue Colonia de

Romanos. 4. No consta el tiempo en que empezó à serlo. 5. Sus esenciones. 6. Sus Memorias, y menciones antiguas. 8. y sig. 19. Su situacion es proporcionada para el comercio. 10. Si estuvo à la orilla del Llobregat. 15. Tuvo Templos dedicados à los dioses de la Gentilidad. 11. y sig. Es Ciudad perfectamente limpia. 19. Capituló con los Moros. 146. Gobernada por uno llamado Solinaon ò Sulciman. 146. Se apoderó de ella Zado ò Zato en el año de 797. pag. 147. Tomada por hambre, y calamidades del cerco. 148. y 155. Año de la toma. 150. Estuvo noventa años fuera del dominio de los Christianos. *Alli.* y 177. Incluida en la Marca Hispanica. 154. Sus primeros *Gobernadores* con titulo de Condes.
 Aledran. 158.
 Bera. 150.
 Bernardo. 151.
 Gaucelino. 156.
 Hunfrido. 159.
 Sunifredo. 157.
 Udalrico. 158.
Condes propietarios.
 Alfonso Rey de Aragon. 177.
 Berenguer 175.
 Borrel. 172.
 Guifredo el Yelloso. 160. 165.

- Guifredo II. 167. }
 Miro III. 170. }
 Ramon Berenguer I. 175. }^{12.}
 Ramon II. 175. }
 Ramon III. 176. }
 Ramon IV. 176. }
 Ramon Borrel. 175. }
 Seniofredo. 172. }
- Como pasó su Condado de los Reyes de Francia à los Condes propietarios. 162. Mantuvo Christiandad y Silla en tiempo de los Saracenos. 177. Su Iglesia fue favorecida del Emperador Carlos el Calvo. 185. y 186. Y de Luis Balbo. 193. Su Cathedral, titulada Santa Cruz y Santa Eulalia. 191. Año en que se apoderaron de ella los Moros. 205. Su restauracion. *Alli* La de sus murallas y torres. 221. Huvo en ella una Junta de Obispos. 227. Consagracion de su Iglesia. 229. Debió su renovacion à los Condes D. Ramon Berenguer, y à su muguer Almodis. 229. Numero de sus Canonigos. 247. Extension de su Diocesi. 229. 231. Sus Santos. 287. y sig. Vease *Concilios*.
- Barceloneta. 16.
 Barreyros (Gaspar) 28.
 Bellacer, Señora. 214.
 Benjamin (Hebreo) En su Itenerario usa del nombre de Barcelona. 9. Estuvo en ella des-
- pues del año 1150. pag. 10.
 Bera, Conde Gobernador de Barcelona. 150.
 Berberano, Castro. 210.
 Berengario, ó Seguisario, Obispo de Barcelona. 29. y 114.
 Berenguer, Duque de Tolosa. 153.
 — I. Obispo de Barcelona. 232.
 — II. Obispo de Barcelona. 245.
 — Obispo de Tarazona y de Lerida. 176.
 Bernardo, Arzobispo de Toledo, presidió un Concilio de Gerona. 244.
 Bernardo, Gobernador de Barcelona. 152.
 Bertran, Obispo de Barcelona. 239.
 Besós, Rio. 270.
 Biclarense (S. Juan) su firma en un Concilio de Barcelona. 283.
 Bisicio, Rio. 270.
 Blanda, pueblo. 37.
 Blanes, pueblo. 37.
 Bonifilia, Monja en S. Pedro de las Puellas. 174.
 Bonucio, Canonigo de Barcelona. 210.
 Boso, Legado Apostolico. 250. 259.
 Breda, lugar. 153.
 Breviario antiguo de Barcelona, impreso año de 1540. pag. 54. 61. Alegado y citado. 66. 75. 190. Fue alterado por el Obispo D. Jayme Casador,

- è impreso en el 1560. *Alli.*
 — Otro de Barcelona Ms. 63.
 — de Mallorca, impreso año de 1506. pag. 55. y 190.
- C**
- Cabeza de Estopa, Conde. 238.
 Vease *Ramon Berenguer.*
 Cabilonense (Primo) 355.
 Cabrera, Castillo. 223.
 Cabreta. Vease *Oliva.*
 Calagurris, de la Gascuña. 105 y 106.
 Caldes de Mombuy, donde hay Aguas ò Baños medicinales. 37.
 Calonja. Vease *Canonica.*
 Campillo (Doctor) 194.
 Campinos, Villa. 193.
 Campo de Santa Eulalia. 183.
 Canones, prohiben las traslaciones de Obispos de una Iglesia à otra. 116. Previenen que el Obispo pueda honrar con bienes Eclesiasticos à los Clerigos. 221. y 242.
